

## PRAEFATIO.

*vis το διοτι nesciatur, Graece concedit, quod Latine negat: Principium enim, quod refutavi, ita se habebat: Si aliquid ponatur esse, semper erit aliquid, unde INTELLIGI POTEST. CVR illud sit. Firmo etiam stant talo instantia mea a libertate Dei & hominis, siquidem citationibus contrariis oppono citationes Speciminis mei III §. 11. & VI. §. 6. Firma etiam adhuc est instantia a Phantasmatibus in somnio, quae revera existunt, &, quamvis causas habeant, habent tamen nobis incognitas. Ergo datur aliquid, cujus non est ratio, unde intelligatur, cur potius sit, quam non sit. 6.) Concedo Principium aliquod rationis sufficientis, si primum de iis rebus tantum accipiatur, quas effectus esse aliunde novimus, & de solo Principio essendi intelligatur; v. Specimen meum VI §. 2. not. d) & conf. Diss. mea Logica de Methodo Mathem. §. 9. concedo etiam de principio cognoscendi sub similibus limitationibus posse intelligi & adhiberi, ita ut eo ipso moneamur, non esse acquiescendum quibuscunque ratiuncalis, sed firma quaerenda esse argumenta. Quod attinet ad meam sententiam de Mundo, quam machinam esse nego, in consideratione ejusdem negligentissimus est M. CARPOVIVS, quamvis Dissertationi Ipsius posteriori integrae e Diametro repugnet: omissis enim argumentis meis praecipuis, & primo loco positus, secundaria, eaque mutilata, profert, & a WOLFFIO refutata esse perhibet, lectoribus suis mala fide persuasurus, me argumenta jam dudum refutata, neglectis his refutationibus, repetiisse, cum tamen non Wolffianarum tantum responsionum, sed Bulffingerianarum etiam, quae sunt speciosissimae rationem habuerim, iisdemque fontes solutionum ipso citato Specimine II. & citato §. 6. ejusque notis opposuerim. Altorfii d. XIII. Martii. A. MDCCXXVI.*

### NOMINA DNN. RESPONDENTIVM.

- I. GEORGIUS MARTINVS RAIDELIVS, Norimbergensis.
- II. VALENTINVS ROESLERIVS, Norimbergensis.
- III. IOHANNES ALBERTVS SPIES, Norimbergensis.
- IV. FRIDERICVS PAVLVS STOY, Hersbrucco Noricus.
- V. IOHANNES VVILHELMVS GOLLING, Norimbergensis.
- VI. IOHANNES HENRICVS FVRVVERGER, Norimbergensis.
- VII. CHRISTOPHORVS ANDREAS BVTNER, Norimbergensis.

